

www.e-rara.ch

Caroli Sigonii historiarum de occidentali imperio libri XX. ...

Sigonio, Carlo

Francofurti, 1593

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RI 49 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25378>

Liber XIII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XIII.

10 **H**UNNICA iam hinc bella scribere ordiemur. quæ post per quatuordecim annos sæuissima Orientem, Occidentemq; formidine concusserunt, atque vtriusque Imperij prouincias omni direptione, strage, atque incendio deformarunt. Quæ Hunnorum natio extiterit, & quibus moribus, ac studiis prædita ex Asia in Europam primum transierit, atque imperium habere in Scythia cæperit, supra commemorauimus. Ab his pulsi veteribus suis sedibus Visgotthi, Alani, & Vandali, Istro, Rhenoq; traiecto, primum Orientem, deinde Occidentem, vt ostendimus, inuasert. ab his reliqui ferme, qui in Scythia erant, barbari bello fracti, vt sedes suas, quarum tenebantur studio, conseruent, libenter eorum se imperio subiecerunt. Itaque bellis, victoriisq; continuatis Hunni iam illud fuerant assequuti, vt totam prope Scythiam siue in ditione, siue in fide, siue in auctoritate haberent. Quo facto, nihil aliud restabat, nisi vt arma cis Istrum, Rhenumq; superiorum barbarorum exemplo, producerent, ac Romanis vnâ & virtutem ostenderent, & periculum intentarent.

CETERVM opportune ad res nouandas regnum nuper ab Optaro ad fratres duos Mundzucci filios Attilam, Bledamq; deuenerat, homines non tam manu egregios, quàm naturæ immanitate acerbo quodam odio aduersus humanum genus imbutos. Hi vero trās Istrum in Scythia, diuisis inter se locis, ac populis, confidentes, cognito, vtrumq; Imperatorem bello Vandalico periculosissimo impeditum, oblata occasione sibi vtendum existimarunt; ac, belli consiliis, facultatibusq; communicatis, transmissis Istro, immensas Hunnorum, reliquorumq; ex ipsa barbaria populorum copias in fines, ac prouincias Imperij transdixerunt, ac castella in limitibus Istri ad tutelam Imperij posita deleuerunt. qua de re sic Procopius: *Romani quondam Imperatores, vt barbaris ultra Istrum habitantibus transitum intercluderent, vniuersas fluminis ripas propugnaculis obuallarunt, nõ ea ratione extructis, vt ab irruentibus expugnari, si quis adortus esset, non possent, sed ne ripa fluminis incustodita manerent, quod tum satis erat ad deterrandos barbaros, ne in Romanos fines incurrerent. posteriore vero atate Attila cum ingenti inuectus exercitu, nullo ferme labore omnia sustulit.* Castellorum inde disturbance aditu patefacto, Attila in Mœsiam, Bleda in Thraciam productis copiis penetrarunt. ac passim populari, ac vastare agros, atq; oppida institerunt. ex quibus Marcellinus Naissum, & Singidunum ex prima Mœsia nominauit. Hoc tumultu accepto, Theodosius sine mora obuiam eundum tantæ barbariæ ratus, aduersus eos Arnegislum, & Ioannem, vtrumq; magistrum militum, cum delecto copiarum robore destinauit. Ceterum Arnegislus cõtra Attilam in Mœsiam profectus, apud Marcianopolim acri proelio decertauit. Ioannes vero, cum pari virtute Bledæ impetum in Thracia excepisset, tandem æmuli Arnegisli fraude peremptus, defensionem inchoatam reliquit. Ea causa factum, vt Theodosius, ne duplici bello, & quidem vtroq; grauissimo, premeretur, pacẽ Genferico petenti haud grauate concesserit. Itaq; postero anno, Dioscoro, Eudoxioq; consulibus, exercitum, qui aduersus Vandalos erat in Sicilia, reuocauit, eumq; Aspæ, & Areobinda ducibus, aduersus Hunnos ire præcepit. Atq; Hunni quidem sæuire in prouinciis Romanis pergentes, omnia oppida Thraciæ præter Hadrianopolim, Heracleamq; vastarunt, & in Macedoniam, Græciamq; transgressi vtramq; prouinciam plus quàm barbara immanitate dilacerarunt: vt nihil aliud, quàm rabiei Gothicæ, atq; Vandalicæ famam feritatis suæ magnitudine velle obruere viderentur. veluti qui non solum à

Christiano, sed etiam ab omni diuino cultu alienos animos patriis institutis haberent. Itaque, ut Procopius auctor est, à sinu Ionico usque ad Constantinopolim omnia suburbana diripuerunt, ac duas munitissimas in Illyrico arces, urbemque Cassandream, quam antiquitus Potidæam vocabant, exciderunt. Romani vero duces aduersus eos profecti, variis præliis editis hostem multitudine abundantem irritarunt magis, quam represserunt. Interim Gensericus fœdere cum Theodosio icto lætatus, sese ad Valentinianum conuertit, ac pacem ab illo quoque petiit. ea vero haud ægre à Valentiniano his conditionibus data est, ut posthac ipse certis se Africæ limitibus contineret, tributum Valentiniano per triennium solueret, & Honoricum filium ad seruandam, quam bis fregisset, fidem obsidem daret. idem sibi Byzacenam, Abaritanam, Gætuliam, & partem Numidiæ retineret, Zeugitanam, vel proconsularem exercitus, reliquas Valentinianus haberet. Tranquillato inde regno, Gensericus, cum optimates quosdam suos aduersus se cõiurasse compositis insidiis comperisset, nõ eos solum multis suppliciis excruciatos necauit, sed ceteros etiam, quos eiusmodi facinoris suspicio leuis afflasset, tã multos afflixit, ut plus propriarum

443 virium in otio perderet, quam, si prælio decertasset. Bellum inde Hunnicum horrens Theodosius, Maximo iterum, Paternoque cõsulibus, oratores de pace ad Attilam misit, ac sex millia pondo auri in præsens pro recessu, mille autem minas, si suis finibus in posterum foret cõtentus, se quotannis præbiturum spondit. Quibus conditionibus acceptis Hunni pacati, sese ultra Istrum cum sociis rettulerunt. verum, ut inquit Procopius, multa gaza parta, ac centum viginti millib. hominum captis, ita ut satis constet, nullam vnquam nationem maioribus Illyricum maleficiis affecisse. Huic vero malo insuper accessit tanta niuis altitudo, ut tristis cuiusdã prodigij opinionem attulerit. nam vix sex mensium spacio liquefacta ingentem hominũ, pecudumque multitudinẽ ipsa frigoris, atque rigoris asperitate necauit. Romæ Leo pōtifex, cum omnes curas ad purgandas hæreticorum labe, & sanandã ecclesiam contulisset, eò usque indagando peruenit, ut Manichæos, qui latebãt, in vrbe deprehenderit. itaque ex tenebris erutos, atque in cõspectum ecclesiæ datos omnes opinionũ suarum nequitas prodere, & libris incensis damnare, coegit. quin etiam ex eorum confessionibus, quos doctores, episcopos, presbyteros, quibusque in locis haberet, expressit. cuius exemplum multi in Oriente episcopi imitati eandẽ sibi piã laudem industriæ pepererunt. In Italia terræmotu laboratũ est ita, ut impetu eius Romæ plurima ædificia procubuerint. Proximus annus, Theodosio xviii, & Albino cõsulibus, pace utroque Imperio late parta fuit insignis. Attila vero à bello externo otiosus ferocitatẽ, quam exercere in alienos didicerat, in consanguineum suum cõuertit. siquidem Bledam fratrem, ut solus imperio potiretur, vita per insidias exiit. (sicut Prosper, & Cassiodorus notauit.) (nam Marcellinus insequente anno factum hoc prodidit.) fratre vero extincto ad se summã rei Hunnicæ transtulit, ac populos, qui ei patebant, imperio obedire suo coegit. Itaque ut opes, ac potetiam auxit, sic aduersus homines superbiam, immanitatem, ac diram quandam acerbicatem odij incitauit. Nam se natũ ad concussionem gentium prædicabat, & formidabilem populis omnibus præferebat, superbe admodũ incedens, atque huc, & illuc oculos circumferens. quam morũ truculentiam species ipsa corporis quoque augebat. statura breuis, latũ pectus, grande caput, parui oculi, rara barba, nasus simus, color ita teter, ut originis eius signa haud dubia proderet. natura confidens, sed post gladium Martis inuentum, qui apud Scythicos reges magno semper in honore fuisset, multo magis. nam cum pastor quidã, ut inquit Priscus, buculam conspiceret claudicantẽ, ut causam vulneris inueniret, sollicitus cruoris vestigiis institit, tandemque ad gladium, quem depascens bucula incaute calcauerat, venit, effossumque protinus ad Attilã venit. Quo ille agnito, ut erat alto animo præditus, arbitratus est, se totius orbis terrarum dominum cõstitutum, ac per Martis gladium potestatem omnium sibi permissam esse bel-

445 lorum. Valentiniano inde vi, & Nonio cõsulatum gerentibus, cum eadẽ, qua antè, pace floreret omnia, Valentinianus lætus Romam ad vicennalia sua peragenda concessit. quam occasionẽ nactus Leo pontifex, quod audiuisset, Hilariũ Arelatensem archiepiscopũ iniussu suo in Gallia episcopos ordinare, mire offensus ipsum ut de ea

re ad

re ad Aëtium scriberet, impulit. Earum litterarū adhuc extat exemplum: *Aëtio, viro illustri, magistro utriusq; militiae Valentinian. Aug. Hilarius Arelatēsis episcopus, sicut venerabilis viri Leonis Romani Papae fideli narratione cōperimus, contumaci ausu illicita quadā prae-sumēda tentavit. nam ecclesia Ro. urbis inconsulto pōtifice indebitas sibi ordinationes episcoporum sola temeritate vsurpans inuasit. Huic, neq; alij in posterū tale aliquid liceat, apostolica, & nostra auctoritate prouisum est.* VIII Idus Iunias Roma, Valentiniano Augusto sextū consule.

Aëtius inde tertium, & Symmachus primum iniere cōsulatam. Ab hoc anno sum-
mam reip. atq; Ecclesiae pacem, atq; tranquillitatem grauis bellorum hæreseumq; 446
tēpestas excepit. quæ totum Theodosij, Marciani, in primisq; subsequens Valenti-
niani Imperium misere, atq; assidue adeo conflictauit, vt, excepto Genferici, qui in
10^o fœdere tertio māsit, ab Africa bello, nulla mali species ad Romanas contundendas
opes abfuerit. In primis terror hominum Attila quiescere nesciens, atq; vna gloriae,
prædæq; appetens violato fœdere nouum Theodosio bellū indixit, causa præten-
ta, quod ille annua tributa ex pacto nō persoluisset. simul etiam Valentiniano, cuius
caussa fecerni à Theodosiana non poterat, grauissime comminatus est, cum nihil
in ore nisi seruitutem, cædem, direptionem, atq; inflammationem haberet. Itaq;
Aëtius, cum ad consulatam ineundam Romam, vbi Valentinianus quoq; erat, ve-
nisset, omni cura in id incubuit, vt quæcunq; posset, ad Hunnicum frangendū im-
petū necessaria compararet. Per eosdē dies Picti, Scotiq; certiores facti, Romanos
20^o aliis bellis implicitos Britannis subuenire nō posse, atq; Aëtium Romā reuocatum
ex Gallia discessisse, erecti animo ad inuadendam insulam redierunt, extremamq;
eius partē ad Murum vsq; ceperunt. ibiq; præsiidiū in arce edita positū expugnarūt.
Britanni tam repētina, ac valida irruptione perculsi, cum, muro, ciuitatibusq; reli-
ctis, in fugam se cōiecissent, passim ab insequētibus hostibus strati sunt, donec fame
vtrumq; exercitum inuadēte, cum omnia alimenta, præterquā ex venatione, sub-
tracta essent, res in mutui latrocinij formam concessit. Quos vero belli clades reli-
quos fecit, ij epistolam ad Aëtiū miserunt, in qua calamitates suas sic exposuerunt:
*Actio tertium consuli gemitus Britannorum. Repellunt nos barbari ad mare, repellit mare ad
barbaros. inter hæc oriuntur duo genera funerum, vt aut iugulemur, aut mergamur. Quam-
obrem oramus vos, ne nos tam perditis rebus deseratis, cum à vobis repulsis nulli sint, ad quos
30^o confugiamus.* Neq; tamen his litteris aliquid auxiliij impetrarunt. quod Aëtius, vt in-
quit Beda, bello Hunnico grauissimo erat occupatus. nam quanuis anno ante hunc
proximo Bleda Attilæ fratris sui interemptus esset insidiis, Attila tamen ipse adeo
intolerabilis remansit hostis, vt totam, (sic enim ille pergit,) pene Eutopam, excisis
ciuitatibus, atq; castellis, arroderet. Interim Britanni fame vrgente coacti, alij sese
hostibus dederunt, alij postquā humanum subsidium deplorarūt, Deo confisi ex
montibus, & saltibus, quo se cōdiderant, erumpentes, atq; in hostes inuadentes ma-
gnas eorum strages dederunt. Ita, Scotis in Hyberniam reuersis, Picti in aquilonari
insulæ parte vltra Murum domicilia posuerūt, ac subinde prædas de Britannis age-
40^o re perrexerunt. Sub eosdem dies apud Ephesum res ingētis apud omnem posteri-
tatem stuporis euenit, quæ resurrectionem corporum, quam multi reuocabant in
controuersiam, cōfirmavit. Ante ducentos ferme annos, Imperatore Decio Chri-
stianos religionis gratia diuexante, septem pueri Ephesi ex iisdem parentibus nati,
cum palam Christum profiterētur, timore persecutionis exanimati vrbe secesser-
ant, ac sese in speluncam proximi montis abdiderant. cuius aditum industrij per-
sequutores extrinsecus ita obseperunt, vt euadendi etiam enixe molietibus facul-
tatem eriperent. Pueri vt se clausos, vallatosq; senserunt, in mœrorem conuersi re-
pente somno acriore oppressi sunt, atq; ita vsq; ad hunc annū sopiti manserūt. tum
vero molibus speluncæ forte remotis experrecti, perinde quasi vnam tantum no-
50^o stem dormissent, vnū ipsorum in vrbe victus comparandi causa miserunt. cum au-
tem ille nummos Decij Imperatoris iam pridem inusitados proferret, thesaurū in-
uenisse existimatus ad magistratum deducitur, ac summis, vt aurum proderet, tor-
mētis afficitur. Tandē, cum Deciū Imperatorē auxiliij gratia inuocasset, error agni-
tus est, historiāq; à principio repetere iussus, & illos, quid actū esset, edocuit, & ab iis
qui status esset rerū præsentium, didicit. Quare cognita, Theodosius pietatis studio

inflammatus, Ephesum properauit, ac fratres alloquutus omni officio caritatis excoluit. post septem vero dies, cum eosdem vero mortis sopore mersos vidisset, in eodem sepeliri antro iussit, ac, summo eis honore adhibito, Constantinopolim se recepit. Ex ea re intellectum est, qui pueros illos post ducentos annos saluis corporibus excitasset, eundem pro magnitudine potentiae suae cunctos etiam homines suscitare in die nouissimo posse. Eodem anno Constantinopolim saeva fames, ac foedior pestilentia fatigauit. Subsequente hyeme, quo Calypius, & Ardabures consulatum inierunt, Attila Istrum opportune congeliatum nactus, exercitum suum in citeriorem Daciam populatum immisit. Aduersus quem Anthemius, & Arnegisus magistri militum cum firmo copiarum delectu à Theodosio missi omnem imminentem impressionis procellam fortiter exceperunt. Praecipue Anthemius vagum hostem non longe à Sardica adeptus in vnum locum compulsus, ac vallo circumseptum variis proeliis fatigauit: ac militem, licet rebus necessariis indigentem, mirifice in officio, fideque continuit. commissa inde summi certaminis pugna, ut cornua aciei defectione collegae nudata vidit, haudquaquam animum demisit, sed acrius, ac vehementius instans, fugientes illius milites in proelium reuocauit, atque hostes in fugam coniectos, ac mox certamen instaurantes deuicit. ac, pace illis promissa, si collegam desertorem interemissent, facile, quod expetiit, impetrauit. Vnde Sidonius ad Anthemium scribens, sic dixit, de Hunnis loquens:

Gens ista repente

*Venerat, & sectas inciderat orbita lymphas.
Hanc tu directus per Dacica rura vagantem
Contrahis, aggredieris, superas, includis, & ut te
Metato spacio castrorum Sardica vidit,
Obsidione premis. quae te sic tempore multo
In vallo positum stupuit, quod miles in agros
Nec licitis, nec furtiuis excursibus ibat.
Cui deesset cum saepe Ceres, semperq; Lyaeus,
Disciplina tamen non defuit. inde propinquo
Hoste magis timuere ducem. sic denique factum est,
Ut socius tum forte tuus, mox proditor, illis
Frustra terga daret, flexo pede cornua nudans,
Tu stabas acie solus, te sparsa fugaci
Expetiit ductore manus, te Marte pedestri
Sudantem repetebat eques tua signa sequutus.
Dux fugit, insequeris, renouat certamina, vincis,
Clauditur, expugnas, elabatur, obruis, atque
Sarmatica paci precium sua funera ponis.
Partitur. iussum subiit iam transfuga letum.
Atque peregrino cecidit tua victima ferro.*

Marcellinus Aragisum magistrum militum in Ripensi Dacia iuxta Vtrum amnem ab Attila rege viriliter pugnantem plurimis hostium interemptis occisum esse, Attilam populabundum vsque ad Thermopolim peruenisse, scribit. Ex quo apparet, cum Anthemij acta suppresserit, ipsum omnino in hac historia vacillare. His actis Theodosius tantum bellum auersatus legatos ad Attilam de pace in Scythiam misit. In hanc legationem se missum esse Priscus historicus, ut exponit Iornandes, narrauit: *Ingentia, inquit, flumina, id est, Tisiam, Driccamq; transeuntes venimus in eum locum, ubi dudum Vidicula Gotthorum fortissimus dolo Sarmatarum occubuit. indeq; non longe ad vicum, in quo rex Attila morabatur, accessimus, vicum inquam instar ciuitatis amplissima. in quo lignea moenia ex tabulis nitentibus fabricata repperimus. quarum compago ita solidum mentiebatur, ut vix ab intento posset iunctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticusq; in omni decore dispositas. area vero curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipsam regiam aulam ostenderet. Haec sedes Attilae regis barbariam totam tenentis, haec captis urbibus habitacula praeponerat. Ceterum pacem impetratam ex intermisso per sequentes annos bello colligitur. Hac re cognita Valentinia-*

lentinianus, ne solus relinqueretur iniuriæ, libidiniq; Attilanæ obnoxius, & ipse oratores ad pacē petendam misit, Cassiodorū Cassiodori Senatoris auum, & Carpilionem Aëtij Patricij filium. de qua legatione sic scriptū est in epistola Theodorici regis apud Senatorē: *Cassiodorus Aetio Patricio in defendenda rep. fuit socius. cuius auctoritate Valentinianus Imperator in omni capiendo consilio sequebatur. legatus autē ad Attilam una cum Aetij filio Carpilione missus vidit eum intrepidus, quem timebat, Imperiū, ac facies illas terribiles, ac minaces fretus veritate despectit. nec dubitauit altercationibus aduersari, qui furore nescio quo raptus mundi dominatū videbatur expetere. inuenit regem superbū, sed reliquit placatum. & calumniosas eius allegationes tanta veritate refellit, vt is gratiā quæreretur,*

10 *cui pacem cum regno ditissimo non habere, vtile esset. erexit constantia sua partes timentes, nec imbelles sunt crediti, qui legatis talibus erant armati. pacem rettulit desperatam. cuius legatio quid profecerit, datur intelligi, qua tantum est gratanter excepta, quantū & videbatur optata.* Leo pontifex pridie Kal. Iulij ad litteras Ianuarij Aquileiēsis episcopi rescripsit, vt omnes clerici, qui hæreticorum communionem iniissent, atq; ad Ecclesiam rediissent, modo ne iterata maculati tinctione fuissent, eum gradum, in quo erant, obtinerent, neq; ad altiorem prouehi possent. In Hispania Richila rex Sueuorum obiit, Riciario filio successore relicto. Eodem anno Ecclesiam vix dum à Nestoriana hæresi respirantē nouus alius perfidiæ veteris inuasit. qui in multos post annos magnos tumultus, ac graues in populis seditiones exciuit. Hæc autem Eutychniana

20 hæresis appellata est. quæ vt orta, atq; extincta sit, actionibus suo quibusq; anno reddendis, deinceps, vt instituimus, exponemus. Cōstantinopoli Eutyches archimandrita, vir eruditionis, atq; auctoritatis inter monachos singularis, palam dicere, atq; oratione tueri non dubitauit, corpus Christi diuersæ à nostro esse substantiæ, & Christum totū vnus esse naturæ. ex quo aperte vt Arrius Christi diuinitati, sic hic, alter Apollinaris, detrahebat humanitati. ceteris vero omnibus opinionem eius vt non solum falsam, sed etiam ridiculam aspernantibus, vnus extitit Dioscorus Alexandrinus episcopus, qui auide illam arripuit, & si quis oppugnare vellet, defendit. Kal. Octobris Theodosius Augustus nouarum volumē Constitutionum ad Valentinianum Romam misit, quas ad suum Codicē adiici, & Nouellas appellari voluit.

30 eas Valentinianus, Postumiano, & Zenone consulibus, Rauennam Roma reuersus Nonis Maij Albino præfecto prætorio, Patricioq; obseruādas mandauit. In Gallia, cum Armoricanos adhuc defectiois in pertinacia permanentes Aëtius aliis curis implicitus Eocharico Alemanorū regi subigendos tradidisset, is, validissimo comparato exercitu, castra in eos promouit. Armoricani, vbi tantam in se ruentem molem viderunt, in timorem de sua salute adducti, ad Germanum Antisiodorensē episcopum confugerunt, eumq; vt incolumitatem sibi procuraret, orarunt. Paruit eorum voluntati Germanus, ac regem, progressus obuiam, cum exercitu cōsistere, manu freno equi iniecta, coëgit. eumq; vt pacē populis daret, admonuit. Ille rem ad Aetium, Aetius ad Valentinianū reiecit. Quare Germanus ad Valentinianum

40 Rauennam iter ingressus est. in itinere autem multa signa & in Gallia, & in Italia edidit. præcipue autem Mediolani, cum urbem, templumq; incognitus introiisset, atq; in populi turba lateret, mirandum in modum in ipsa Sanctorū solemnitate est agnitus. Rauennam inde progressus, summo studio à Petro episcopo, & tota ciuitate excipitur. Cum Placidia vas argenteum cibis refertum ad eum misisset, ille, cibis ministris suis distributis, argentum sibi in necessitates pauperum conferendum retinuit, & patinam cum hordeaceo pane remisit. Quem Placidia libens accepit, atq; ad salutaria ægritudinum remedia conseruauit. Dum autem ille Rauennæ mansit, multos egros ad pristinam valetudinē reuocauit. insignia vero illa, quod Acholium eunuchum, præpositum sacri cubiculi, maligni vexatione spiritus liberauit, & Volusiani filium, qui Sigeuultis Patricij cancellis præerat, ad depellendam febrem accitus, cum mortuum inuenisset, vitæ restituit. pacem etiam Armoricanis impetrauisset, nisi noua eorum rebellio iustam, quo minus daretur, principis iracundiā excitasset. Lapsus inde in morbum à Placidia se visitante poposcit, vt corpus suū, postquam anima excessisset, in patriam deferendum curaret, ac septimo post die pridie Kal. Augusti expirauit. Eo mortuo supellex eius ita diuisa est. Placidia capsulā cum

sanctis reliquiis sibi asciuit, Petrus vrbis archiepiscopus cucillum cum interiore cilicio; sex antistites, qui aderant, vnus pallium, alter cingulum, duo tunicam, duo sagulum assumpserunt. Acholius præterea aromatibus corpus condiuit, Placidia vestiuit, Valentinianus comites, qui prosequerentur, attribuit. Ita multis effulgens miraculis perlatum in Galliam Kal. Octobris Antifiodorum, magna effusi populi celebritate susceptum est. Ceterum hic fuit Petrus, ab eloquentiæ præstantia Chrysologus appellatus, cuius egregij multi extant sermones, post Fori Cornelij, vnde originem trahebat, & mortuus, & sepultus, atque in numerum Sanctorum ascriptus. Flavianus autem Constantinopolis episcopus, cum Eutychetis hæresilate serpente multos misere implicari videret, mature occurrendum arbitratus, episcopos suos ad vrbem aduocauit. In eo conuentu Eutyches ab Eusebio Doryleensi episcopo accusatus, & à patribus adesse, ac fidem suam expromere iussus, respondit, dominum nostrum, antequam diuinitas cum humanitate coniungeretur, ex duabus naturis constituisse, at post earum coniunctionem vnã in eo naturam tantummodo extitisse, corpusq; eius non ex eadem esse substantia cum nostro. Quod cum episcopi audissent, ipsum repente magno consensu communionem priuarunt. Ea sententia consternatus Eutyches confugit ad Theodosium, ac se falsis ab Eusebio criminibus expostulauit oppressum. Quamobrem Theodosius, vt eadem causã de integro cognosceretur, edixit. quæ cognita cum paribus esset sententiis condemnata, Theodosius Leonem pontificem de tumultu, quo premeretur Ecclesia, docuit. eademq; ratione Eutyches, se immerito damnatum, expostulauit.

449 Itaque sequenti anno, Protogene, Asterioq; consulibus, Leo x i i Kal. Martias scriptis litteris Flauiano mandauit, vt se de actis omnibus per id oneum nuncium edoceret, quo mature de ea re iudicare, & seditionẽ sedare Ecclesiæ posset. Theodosio vero Kal. Martij rescripsit, sibi adhuc compertum non esse, quamobrem Eutyches damnatus esset, quod is ad se scripsisset, se Nicæna decreta seruantem in fidei diuersitate culpatum esse. Interim Theodosius tantæ seditionis impatiens, ad hanc rem iudicandam Concilium Ephesum ad Kalendas Augusti episcopis Orientis indixit. deq; ea re certiore Leonem fecit. Leo vero iam de omni Eutychetis impietate, & iusta illius damnatione cõmonefactus, Idibus Iunij litteras ad Theodosium, Pulcheriam, & Flavianum dedit. quarum hæc erat summa: se ad Concilium accedere nolle, tum quia res exemplo careret, tum quia incertæ præsentis temporis rationes se ab ecclesia discedere, atque ab vrbe non paterentur. & quod causã fidei, quæ tractabatur, adeo explorata esset, vt etiam sine Concilio transigi posset. tamen, vt Theodosij voluntati pareret, legatos mittere, qui vice sua causã pice, ac fideliter expedirent. dolere etiam, quod nimis angustum tempus ad conueniendum sit præstitutum; cum à tertio Kal. Maias, quo litteras eius acceperit, maior pars temporis fuerit in instruendo legatorum itinere consumenda. Legati fuerunt Iulianus episcopus, Renatus presbyter tituli S. Clementis, Hilarius diaconus, & Dulcitus notarius. Kalendis Augusti Ephesi Concilium conuocatum est, cui Dioscorus episcopus Alexandrinus, Domnus Antiochenus, Iuuenalis Hierosolymitanus, & Flavianus Constantinopolitanus cum suis quisque episcopis, atque ipsi præterea legati Leonis affuere. Ibi Theodosij iussu sententiæ dictione priuati sunt, qui conuentum Constantinopolitanum inierant, quod eorum tum decreta disquirentur. Dioscorus autem ex Chrysaphij præfecti Palatij auctoritate, cum summum sibi in Concilio auctoritatis ius asciuisset, rem totam pro sua libidine administrauit. nam episcoporum alios non admisit, alios per vim sibi assentiri coëgit. Ita non solum Eutychem absoluendum, sed Flavianum etiam, & Eusebium, Theodorum Mopsuestenum, Theodoritum Cyrensem, & Ibam Edeffenum, aliosq; multos abdicandos curauit. Hilarius autem Leonis legatus, vbi contra leges omnia administrata persensit, ne vim aliquam pateretur, Concilio se subduxit, ac maturato itinere Romam profectus, Leonem de ratione Ephesini conuentus edocuit. Quibus rebus Leo permotus, episcopos ex Italia Romam primo quoque tempore aduocauit, atque ex eorum sententia i i Idus Octobris ad Theodosium, & postridie ad Pulcheriam litteras eodem argumento misit: quoniam quæ acta erant

rant Ephesi, sibi narrante Hilario, cognita, non solum fidem non subleuarent, sed omnes etiam ecclesias vulnerarent, rogare illos, ut causam in integrum redigerent, donec maior sacerdotum numerus conueniret, & ut apostolorum, ac martyrum coronas ante oculos haberent, quibus nulla alia fuisset causa patiendi, quam confessio veræ diuinitatis, & veræ humanitatis in Christo, sinerentq; de eare Concilium generale in Italia celebrari, quod omnes offensiones sic aut tolleret, aut leniret, ut nihil ultra relinqueretur aut in fide dubium, aut in caritate diuisum. Idibus vero scripsit ad clerum, & populum Constantinopolitanum, se vehementem ex actis Ephesinis traxisse dolorem. iubere autem, eos bono animo esse. nam se neminem vnquam in communionem admissurum, qui viuentis Flauiani sedem inuasisset. atq; iam nunc anathema eis indicere, qui veritatem carnis nostræ in Christo difsiteantur. Per eosdem dies Valentinianus cum Placidia matre, & Eudoxia coniuge Romam, relicta Rauenna, migravit. postridie vero, quàm urbem iniit, insigni pompa ad venerandam Beati Petri basilicam vna cum eisdem processit. Quibus Leo, & episcopi, qui Romæ conuenerant, statim hilares occurrerunt, atque ab eis summis precibus, lacrymisq; petere institerunt, cum Theodosio agerent, ut fides à maioribus tradita, ac paulo antè Ephesino conuentu labefactata, conseruaretur, & ut Flauianus, ac ceteri episcopi iniuste damnati restituerentur, atque ad eam rem Concilium in Italia cogereetur. Quorum auctoritati Valentinianus, atque Augustæ se obsequuturos alacri animo responderunt. extant adhuc singulorum epistolæ ad Theodosium hac de re scriptæ. quas hic intexere non videtur operæ precium. Ad eos vero rescripsit Theodosius, gratias se Deo agere, quòd Romam se incolumes contulissent. De iis, quæ Leo petisset, se nulla in parte à paterna religione, & maiorum disciplina desciuisse. ad quam conseruandam conuentum Ephesi conuocasse, in quo magna libertate, & integra veritate indignos sacerdotes remotos, dignosq; susceptos esse. inter quos Flauianum perniciosæ rerum nouitati studentem merito esse damnatum. quo summoto, pacè esse ecclesiis restitutam. sed his de rebus pluribus ad Leonem scripsisse. Hoc est Cõcilium Ephesinum secundum, propter prauitatem suam à Græcis prædatorium appellatum, non sine magno Theodosij probro peractum. In Gallia Apollinaris Sidonij pater præfecturam prætorianam exercuit. de qua sic ipse Sidonius scripsit: *Audiui adolescens, atq; adhuc nuper ex puero, cum pater meus præfectus prætorio Gallicanis tribunalibus præsideret. sub cuius magistratu consul Asterius anni sui fores votiuum trabeatus aperuerat. adhercbam sella curuli, & si non latens generositatis per ordinem, certe non sedens per atatem, mixtusq; turma censualium penulatum consuli proximus eram.* Meroueus etiam rex Francorum patri Clodioni successit, ac paratis copiis, quod maiores sui tentarant, neq; assequi à Romanis semper repulsi potuerant, Rhenum sine certamine vlllo traiecit, ac demum sedes Francorum ad Axonam amnem, permittente, aut certe non repugnante Valentiniano, locauit. ab eo inde Francorum reges, qui abhinc in Gallia dominati sunt, Merouingorum tulere nomen. Hæc Francorum regni in Gallia primordia fuisse, doctissimis placet auctoribus. quæ idcirco notanda fuerunt, ut à quibus principiis quantè progressiones euaserint, singula deinceps lustrando tempora appareret. Eadem ratione Angli nunc primum Britanniam non irruptionis, sed migrationis gratia tenuerunt. Britanni nanque à Piætis, & Scotis, (qui Piætis adiuncti partem insulæ ad aquilonem pertinentem tenebant,) assiduis incurfionibus afflictati, desperato Romanorum auxilio, ad Anglos Saxones Germaniæ populos confugerunt, atque eorum nixi auxilio hostes fugarunt. Post paulo autem Angli stipendia sibi promissa à Britannis non soluta causati, ipsam, quam defenderant, Britanniam inuasert, ac fœda strage hominum, ecclesiarumq; pro gentilitatis, cui addicti erant, iure facta, ibi certa domicilia collocarunt. Ita Britannia in duas partes diuisa duo regna accepit, vnum Scotorum ad aquilonem, alterum Anglorum ad austrum. vnde illa Scotiæ, hæc Angliæ nomen inuenit. Dioscorus inde superiore victoria non contentus, qua Flauianum innocentem euerterat, longius etiam cupiditate, amentiaque processit. quippe, Valentiniano VII, & Auieno consulibus qui fuit annus quadringentesimus quinquagesimus, eundè, ne quando, recuperata dignitate, sibi, aut causæ

suæ obesset, occulte occidendum curauit. Quo factò, clerus, populusq; Constantinopolitanus Anatolium in eius locum substituit. Quod ubi Leo audiuit, de illius doctrinæ sanitate sollicitus xvi Kalend. Augusti Theodosium per litteras obsecrauit, vt ad se illius confessionem transmitteret, & Concilium haberi in Italia fieret. Nam si ille aliter, inquit, de Verbi incarnatione, quàm Catholicorum omnium, & mea fert professio, senserit, communionem nostram priuabitur, & si qui erunt, qui à puritate fidei, & patrum auctoritate dissentiant, conuenientibus in vniuersis, qui aut ignorantia, aut timore prolapsi sint, eis opportunis correctionis remediis consulatur. Hanc vero epistolam Theodosius non accepit, quia v Kal. Augusti vitam reliquit. Mortuus est anno ætatis quinquagesimo, Imperij quadragesimo tertio, boni, & mitis principis potius, quàm strenui, & constantis laudem adeptus. Nulla virili prole ab eo relicta Pulcheria soror ipsius viuentis voluntatem, iudiciumq; sequuta, senatu ipso consentiente, Marcianum ad Imperij culmen euexit, eum, quem supra à Genserico captum commemorauimus, atque eidem mox se coniugio copulauit. Ille vero simul atque Imperium iniiit, pro insito pietatis Catholicæ studio statim cogitare de præsentis Ecclesiæ dissidio remouendo instituit, ac mox à responsalibus Leonis edoctus, quanto scelere se Dioscorus obstrinxisset, qui Leonis auctoritatem interpositam respuisset, & Flavianum iniuste damnatum iniustius extinxisset, litteras ad Leonem has misit: *Dei prouidentia, & senatus, militumq; suffragiis ad Imperij culmen ascendimus. Quare pro reuerenda, & Catholica religione Christiana fidei, cuius prasidio virtutem potentia nostra credimus gubernari, sanctitatem tuam, principatum in episcopatu diuina fidei possidentem, sacris litteris salutare volumus, rogantes, vt pro firmitate, & statu Imperij nostri Deum precetur, vt eam nobis mentem det, qua omni impio errore sublato per celebrandum, te auctore, Concilium pax erga omnes episcopos Catholicos ab omni scelere pura concilietur.* Postquam autem legati à Leone missi venere, tum iterum ita scripsit: *Reuerendissimos viros, quos ad nostram pietatem tua sanctitas misit, benigne, hilariterq; accepimus. reliquum est, vt si placuerit tua beatitudini ad has partes adire, & Concilium celebrare, hoc facere studio religionis dignetur. nostra certe voluntati admodum satisfaciet, & qua sacra religioni utilia sunt, statuet. sin autem propter difficultatem ab hoc itinere deterretur, ipsa certiores nos per litteras faciat. Nam in omnem orientem, & Thraciam, & Illyricum sacras nostras litteras dimitemus, locum, qui nobis placuerit, ad conueniendum episcopis indicentes, vt qua Catholica fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas constituerit, sua dispositione declarent.* Scripsit etiam Pulcheria ad eundem, Anatholium Catholicæ religioni studere, & apostolicam litterarum eius confessionem amplecti; Flauiani cadaver Constantinopolim allatum in basilica apostolorum more maiorum esse repositum. reliquum esse, vt ipse suam de habendo Concilio sententiam exprimat, vt episcopi Orientis conuenientes, ex eius auctoritate de Catholica confessione decernant. Dum hæc in Oriente à Marciano geruntur, Attila bellum aduersus Occidentem, & Valentinianum internecinum parauit, occasio vero tulit, vt arma Galliarum prius, quàm Italiae, mouerit, quanuis longius positæ, & minus patiendæ iniuriæ opportunæ. quæ fuit huiusmodi. Gensericus Theodorici regis filiam Honorico filio suo matrimonio iunxerat, sed suspitione veneni sibi parati mox reciso naso dehonestatam ad patrem remiserat. itaq; vindictam merito timens, Theodoricum delere, Gotthorumque opes labefactare constituit. sed viribus suis diffidens, Attilam in eius perniciem multis missis muneribus incitauit. Attila homo auarus, & belli cupidus, prædæ, & mercedis magnitudine ostentata, haud grauate se voluntati eius obsequiturum promisit. ac statim consilio non insulso, vt Romanorum, ac Gotthorum opes, atque auxilia separaret, legatos alios ad Valentinianum misit, per quos se in Galliam aduersus Gotthos, (quod salua ipsius amicitia facere posset,) contendere velle ostendit, alios vero ad Theodoricum, per quos se statuisse Romanos adoriri significauit. proinde se vtrique magnopere suadere, vt alter ab alterius auxilio abstineret, neque alieni periculi causa suas fortunas in dubium deuocaret. Valentinianus autem iam pridem in omnem Attilæ actionem, atque orationem intentus, fucò verborum se decipi veritus, subito per fidos nuncios Theodorico legationem Attilæ, atque occultum, vt

rebat, eius consilium demonstravit. eumque, ut in communi periculo communia arma susciperet, inuitavit. nam satis omnibus apparere, Attilam orbis terrarum imperium affectare, neque iustas belli causas requirere, verum in capiendis armis vni libidini, atque inexhaustae cupiditatis suae voragini indulgere. ac ius, fasque omne despicientem promiscue se hostem mortalibus omnibus agri, terrae aliquid possidentibus exhibere. quamobrem aequissimum videri, ut qui aduersus omnes homines animi sui saeuitiam inflammaret, is omnium etiam hominum opibus, armisque coerceretur. Hac legatione accepta, Theodoricus summo studio se facturum quod ille suaderet, respondit, ac foedus aduersus Attilam, si in Galliam inuaderet, haud inuitus percussit. Theodorico in belli societatem ascito, Valentinianus inde ad Gundacarium, regem Burgundionum, Sangibanum Alanorum, & Meroueu Francorum se contulit, atque eorum, quia sedes in Gallia habebant, causam communem agi cum ostendisset, haud aegre, ut eidem se iungerent foederi, persuasit. inde totius belli summam, ac rei pro iudicio suo administrandae arbitrium Aetio, duci illa aetate manu, consilioque promptissimo, atque in barbarorum bellis exercitatissimo, tradidit. qui, delectu barbarorum, atque Italicorum quam acerrimo in Italia habito, nihil, quod ad tantum hostem excipiendum pertineret, omisit. Contra Attila non solum vim innumerabilem Hunnorum coegit, sed magnum etiam numerum Ostrogothorum, qui adhuc in Scythia erant, ei que parebant, exciuit. quos tres ex Amalorum familia fratres, strenui maxime duces, Valamirus, Theodemirus, & Vindemirus ducebant. Quin etiam Ardaricus rex Gepidarum, Sarmatae, Geloni, Neuri, Rugi, Bastarnae, ac bellicosissimi quique ex Scythia populi in eam militiam nomina sunt professi. totaque Germania siue metu, siue amore ad huius expeditionis societatem arrepta. Atque ita totus hic annus vtrinque in contrahendis auxiliis est consumptus. quo eodem anno tanta in Italia annonae penuria laboratum est, ut multi fame adacti filios, & parentes suos precij habendi causa vendiderint. Itaque Valentinianus, sequenti ineunte, quo Marcianus Augustus cum Adelfio consul fuit, ad Aetium Patricium pridie Kal. Februarias Roma scripsit hoc modo: *Cum obscenissima fames proxime per totam Italiam desauierit, hominesque filios, & parentes vendere, ad discrimen instantis mortis effugiendum coacti sint, ego reuocans constitutiones maioram, venditionem censeo submoueri, quam praedicta fames ingenuorum fieri persuasit.* Interim Attila, saeuiente adhuc hieme, cum exercitu, quem in Scythia ex diuersis conflauerat gentibus, castra mouit, ac per Germaniam iter faciens, populos eius omnes ad arma Galliae secum inferenda sollicitavit; cum aliis spem praedae opulentissimae ostentaret, alios odio erga Romanos, quam maximo posset, accenderet, aliis terrorem exercitus sui inuictissimi obieceret, omnes autem a capiendis pro Romanis armis auerteret, clade commemorata Francorum, quam illi pridem a Vandalis accepissent, cum soli eorum in Galliam transitum impedire conati essent. Quibus de rebus haud aegre omnes Germaniae populi Attilae ad Galliarum, ut praese ferebat, excidium contendenti se adiunxerunt, Quadi, Marcomanni, Heruli, Turcilingi, Burgundiones, Thuringi, Bructeri, ac demum etiam, qui assidui, ac prope quotidiani Galliarum hostes ab initio fuerant, Saxones, & qui in Germania remanserant, Franci. Quod Sidonius, qui his rebus interfuit, scriptum reliquit:

subito cum rupta tumultu
Barbaries tota in te transfuderat arctos
Gallia. Pugnacem Rugum comitante Gelono
Gepida trux sequitur. Scotum Burgundio cogit,
Chunnus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thuringus,
Bructerus, vluosa quem vel Nicer abluit vnda
Prorumpit Francus.

Cum hac igitur tot populorum, gentiumque colluue, quae ad septingentam milia hominum dicitur esse complexa, quasi non terrae Galliae bellum, sed toti terrarum orbi pestem, atque exitium intentaret, Attila ad Rhenum peruenit, ibique naues tam multas traiciendi causa construxit, ut Hercynia sylua, quemadmo-

dum inquit Sidonius, subito secta in lintres abierit. Interim totam Galliam, in primisque eam, quæ Rheno proxima primum hostium subitura impetum videbatur, noua, atque inusitata trepidatio, ac pavor incessit, singulis sibi crudeles strages hominum, populationes agrorum, euerfionesque oppidorum, quas in Oriente factas audiuerant, se visuros animo destinantibus. & quidem iam pridem ea cælo signa apparuerant, quæ ingentem merito & horrorem pectoribus, & religionem animis piorum incuterent. contra quæ miræ multorum Sanctorum hominum virtutes miseris populorum temporibus affulserunt. Quippe dum exercitus flumē transibat, cum aliæ ciuitates, tum in primis Parisienses, relicta Lutetia, se ad loca tutiora recipere instituerunt. tum S. Genouefa virgo ad vxores eorum conuersa dixit: Cur patriam, in qua nata, atque educata estis, relinquere cogitatis, ac non potius vos, virosque vestros contra hostes, armaque eorum ieiuniis, & precibus communitis? sic enim, Deo opitulante, facilius euadetis. Quibus verbis auditis, multæ illarum, spe sua in Dei misericordia posita, se in Baptisterium ad vota Deo facienda proripuerunt. Inde viros virgo aggressa monuit, ne desperatione debilitati fortunas vrbe suas efferrent, sed Dominum suppliciter orarent, qui solus ipsos impendentibus eximere periculis posset. nam quas vrbes, tanquam munitiores, adire contenderent, eas maiorem calamitatem esse passuras, Lutetiam vero ex tantis malis incolumem emerfuram. Quam vocem rei euentus postea comprobauit. Attila, Rheno traiecto, occurrentia omnia Germaniæ secundæ oppida infestus inuasit, ac præcipue Tungros, Coloniamque deleuit. Ceterum, cum Seruatio Tungrorum episcopus, urbem illam euerfuri iri à Beato Petro apostolo didicisset, dum ad sepulchrum eius Romæ vota faceret, ne tantæ ruinae interesset, ad Traiectensem urbem confugit, atque ibi, prout ab apostolo acceperat, finem vitæ imposuit. Cum autem vndecim millia virginum Britannicarum à visitandis sanctorum apostolorum liminibus in patriam reuertentes, Vrsula duce, secundo Rheno deueherentur, apud Coloniam ab Attila interceptæ sacro martyrio coronatæ sunt. Inde in Belgicam primam ingressus, Metas pridie Paschatis occupatas diripuit simul, atque succendit. populo trucidato, templa omnia præter Orationarium S. Stephani inflammata. In Belgica secunda Attrebatum excisum. quod post Vedastus episcopus reparauit. In Senoniam inde ingressus, Tricassas accessit. verum virtute S. Lupi episcopi nullo maleficio urbem prætergressus affecit. Dum autem Attila in Gallia sæuebat, Aëtius legiones secum Italicas ducens, Arelate peruenit. ibi ratus, Gotthos, quanquam fœderatos haud temere se tanto certamini commissuros, Auitum Aruernum ad eos euocandos mittit, atque ei, & ceteris regibus, & copiis Gallicis diem ad conueniendum edicit. Cum autem Anianus, Aureliani episcopus, Attilam ad Ligerim aduentare videret, de ciuitate sua sollicitus ad Aetium Arelate contendit, ac præsens vrbis periculum demonstrauit. Ille vero Sangibanum Alanorum regem, qui eam urbem tenebat, formidine consternatum, ac prope à Romanis alienatum audiens, ad se accersit, & se in tempore vrbi affuturum spondit. Interim Attila obuia quæque subuertens, Aurelianum ad Ligerim situm accessit, eamque urbem se dedere recusantem, ac victoriam suam inhibentem, omni mole oppugnare, ac variarum machinarum pulsu verberare instituit. Ea re territi ciues, cum quidnam consilij caperent, in incerto haberent, Anianum consuluerunt. ille monuit, vt spem in Deo defigerent, atque opem eius suppliciter implorarent. Quod cum illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conuersus dixit: Prospicite de muris, num subsidium Dei adueniat. putabat enim, Aëtium aduentare. prospicientes autem neminem viderunt. at ille: Orate iterum cum fide. vos enim dominus hodie liberabit. & cum fecissent, Prospicite iterum, inquit. Nemine autem apparente, dixit illis, Si cum fide orabitis, dominus vobis sine dubio ad erit. illi vero cum fletu magno misericordiam inuocare Dei cœperunt. inde ex sancti episcopi præcepto de integro prospicientes, nebulam, quasi de terra surgentem, viderunt. Quod renunciantibus sacerdos dixit. Atqui hoc Domini auxilium est. Atque ita tremantibus, ac fatiscentibus affiduis iam ictibus arietum muris, ecce Aëtius, & Theodoricus, ac Thorismundus filius eius cum suis quisque exercitibus prodeunt,

prodeunt, commissioq; certamine Attilam ab vrbe propellunt. Hæc ita acta Turo-
 nensis Gregorius refert. Sidonius vero Attilam urbem etiam irrupisse, verum, Aë-
 tio superveniente, nō diripuisse prodit. sic enim ad Prosperum episcopum scribit:
*Dum laudibus summis sanctum Anianum Lupo parem, Germanoq; non impari vis celebra-
 ri, exegeras mihi, ut promitterem tibi, Attilæ bellum stylo me posteris intimaturum. quo vide-
 licet Aurelianensis vrbis obsidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cœ-
 litus sacerdotis vaticinatio continebatur. cæperam scribere. sed operis arrepti fasce perspecto,
 t aduit inchoasse.* Attila inde ira feruidus, cum patentissimos, ac prælio faciendo
 aptissimos non longe abesse campos Catalauni audisset, eo castra conuertit, atque
 10 Aetio sese summi ibi prælij copiam facturum ostendit. neque illud Aetius detre-
 ctavit, verum statim cum Gotthis, & Francis, Alanis, & Burgundionibus, & provin-
 cialibus, Italicisq; accessit, seque ad pugnam capeffendam præsto esse significavit.
 Attila, antequam prælium iniret, cum exta consulisset, intellexit, à parte Roma-
 norum ducem, à sua exercitum periturum. interpretans autem, Aetium esse casu-
 rum, cuius virtutem, ac prudentiam omnium maxime formidabat, de exercitu suo
 non laboravit, atque alacriter in prælium hora nona processit, eo consilio, vt si a-
 cies sua inclinasset, nox imminēs dirempto prælio subueniret. Cum acies instrue-
 rentur, dextrum cornu Theodoricus, sinistrum Aetius, mediam aciem Sangiba-
 nus obtinuit, vt qui suspectæ fidei turba esset fidelium sepiendus. apud hostes au-
 20 tem cornua multiplices populi, mediam aciem, quo tutior esset, sibi Attila depo-
 poscit. Erat in campis tumulus quidam leniter accliuus, quem qui primus cæpisset,
 plurimum ad victoriam momenti consequutus fuisset. quo animaduerso, Attila è
 suis aliquot misit, qui locum occuparent, sed Romani anteuertent, atque Hun-
 nos euadere conantes facile deturbarunt. Qua de re Attila, cum exercitū suum,
 tanquam in fausto rei auspicio, perturbatum videret, oratione sibi confirmandum
 putavit. atque ita disserere cæpit. Post tot victorias partas, orbemq; prope terra-
 rum edomitum, absurdum sane censuerim vos verbis ad prælium conferendum
 accendere. quærat hoc aut nouus dux, aut imperitus exercitus. neq; enim me de-
 30 cet vulgare aliquid dicere, neque vos oportet audire. quid autem forti viro iucun-
 dius esse potest, quàm vindictam manu suscipere? inuadite igitur hostem alacres,
 vt qui bellum non excipitis, sed infertis. aduocatos videtis tam diuersi generis po-
 pulos. quod aliud maius esse potest pauoris, ac trepidationis indicium, quàm caput
 suum sociorum armis, ac lateribus tegere? en, antequam vestrum impetum patian-
 tur, sæuis terroribus concitantur. excelsa loca quærun, tumulos capiunt, atque ita
 in campis munitiones deposcunt. notum est vobis, quàm leuia sint Romanorum
 arma. primo non dico vulnere, sed puluere perturbantur. ergo dum illi ordines in-
 struunt, dum testudinem nectunt, vos configite præstantibus animis, vt soletis,
 contemnentesque eorum acies, Alanos, Gotthosque inuadite. his enim tanquam
 neruis eorum præsectis, repente totum corpus ad terram collabatur, necesse est.
 40 nunc iram, Hunni, nunc vires, nunc arma, nunc consilia vestra depromite. faciem
 illi vestram sustinere non poterunt, si vos fortiter pugnantes aspexerint. Hac ora-
 tione perfecta, signo pugnae dato, alacriter vtrinque concursus est. atque vsque ad
 noctem tanto ardore, tantaq; pertinacia depugnatum, vt maiore dimicari non po-
 tuerit, tanta porro cæde, ac sanguine, vt fœdiorem, ac cruentiorem pugnam anti-
 quitas nulla prodiderit. Feruente autem prælio, Theodoricus, dum adhortās suos
 discurreret, siue equo forte lapsus, pedibusq; suorum attritus, siue, vt alij tradunt,
 ab Ostrogottho quodam confossus, interiit. Atq; hoc fuit, quod Attilæ aruspices
 de ducis apud Romanos casu prædixerant. quod ille temere ad Aetium traxerat.
 Eo dolore Gotthi accensi ab Alanis secreti, aciem Hunnorum inuadunt. quo im-
 50 petu Attilam oppressissent, nisi ille prouidus se, & suos in castra, quæ plaustris ob-
 uallata habebat, illico rettulisset. Thorismundus autem, qui cum Aetio collem an-
 ticipans, hostes de superiore loco depulerat, credens, se ad agmina propria accede-
 re, nocte cæca ad hostium carpenta peruenit. itaq; fortiter dimicans capite vulne-
 ratur, atq; equo deiicitur. sed, suis intercurrentibus, tandem in equum relatus libe-
 ratur. Aetius vero per tenebras noctis à suis diuisus, cum inter medios hostes va-

garetur, numquid aduersi Gotthis accidisset, inquirens, cum ad castra sociorū peruenisset, noctem scutorum defensione transegit. postridie, luce orta, cum stratos cadaueribus campos esse, neq; Hunnos castris exire audere videret, atq; Attilam intelligeret propter cladem acceptam prælium detrectare, suam esse victoriam arbitratus est. Attila vero, quanquam victum se cernebat, tamen tanquam victor, in castris strepitum armorum edebat, ac tubis canebat, & terrorem solitum commouebat. Quod vt sensit Aëtius hominem obsidione premere statuit, nimirum breui perituum arbitratus, quia paratam comætuum copiam nō haberet. neq; enim propter crebros sagittariorum eius ictus propior ad castra dabatur accessus. Quare cognita, Attila, salute desperata, rogum ex fellis equorum construxit, eo animo, vt si Romani castra cepissent, sese in eum ardentem coniceret, ne Romanus aut se vulnerato gauderet, aut de capto magnifice triumpharet. Interim Gundicarium regem cum Burgundionibus suis deletum, est cognitum. Gotthi quoq; cadauer Theodorici diu quæsitum reppererunt. eorum vterq; à suis honestissimis de more exequiis est elatus. Hoc est memorabile prælium Catalaunicum. in quo c l x i i millia hominum cecidisse dicuntur, præter nonaginta millia Gepidarum, & Francorum, qui nocte, quæ prælium præcessit, inter se armis congressi mutuis vulneribus concidere. Narrant, riuulum memorati campi humili ripa labentem peremptorum, ac fauciatorum sanguine concitatum fluxisse. quosque sitis intolerantia ad bibendum adegit, eos sanguinem, quem vulnerati fuderant, potauisse. Thorismū-
 dus inde funus patris prosequutus, ad Aëtiū se contulit, & quid sibi opus facto esset, consuluit. Aëtius veritus, ne, deletis, vt opinabatur, Hunnis, Gotthi nimia insolentia efferrentur, sua sit, vt domum repetens, regnum, quod fuerat patris, adiret, ne illud forte minor natu frater arriperet. Ita ille, Hunnico bello relicto, rex à suis acclamatus, in Aquitaniam est reuersus. Pariter etiam Sangibanus cum Alanorum, & Meroueus cum Francorum reliquiis domum dimissi. Quod vbi Attila audiit, dolium parari putans, sese per aliquot dies intra castra continuit. at vero, postquam exploratam rem habuit, lætitia summa perfusus, bene de se sperare instituit, ac Romanum dissolutum iam cernens exercitum, securus è castris excessit, ac ducto secum vsq; ad Rhenum Lupo, Tricassino episcopo, atq; cum honore remisso, Rhenum traiecit, atque per Germaniam in Scythiam retro incolumis abiit. Hæc armis hoc anno in Occidente administrata. Orientem vero longe alia ratio certaminis occupauit. Marcianus enim Augustus, vt Leonis pontificis voluntati obtemperaret, Concilium Orientalibus episcopis Nicæam Bithyniæ ad Kal. Septembris indixit. ac x Kal. Iunii litteras ad eum misit, vt, cum quibus ei videretur episcopis, eo accederet, nam se itidem affuturum, nisi publicis rationibus in expeditione fuisset occupatus. inde aliis scriptis episcopos monuit, se publicis belli necessitatibus impediri, quo minus adesse posset. proinde ipsi absentiam suam æquo animo paterentur. Leo vero v. Kal. Marciano rescripsit, se ad Concilium venire non posse, mittere autem legatos, qui suas partes implerent, atq; illum rationē habendi Concilii edocerent. ei se incolumitatem Nicæni fidei commendare. x i i i vero Kal. Augusti ad Pulcheriam Augustam scripsit, votis se omnibus expetisse, vt Conciliū intra Italiam haberetur, quo, si securitas suppeteret, Occidentales episcopi cōuenirent, voluntatē tamen Marciani non ita aspernatū, quin legatos miserit, & rationem habendi Concilii demonstrarit, ne quid fieret, quod legibus repugnaret. x inde Kal. Octobris Marcianus, cum esset Heracleæ, ad episcopos Nicæni cōuocatos misit, vt Chalcedonem aduenirent. nam ibi se quoq; præsto futurum. Quod cum illi impigre, obediēterq; fecissent, tum Concilium v i i i Idus Octobris est inchoatum in æde S. Euphemie martyris, præsentibus legatis Leonis, Paschasio, & Lucëtio episcopis, & Bonifacio presbytero, Marciano Imperatore, & Pulcheria Augusta, cum adessent item Anatolius episcopus Cōstantinopolis, Dioscorus Alexandriæ, Maximus Antiochiæ, Iuuenalis Hierosolymorum, & episcopi eorum alii amplius sexcenti. Ibi confidentibus omnibus, Paschasius legatus Leonis denunciavit, se mandatum habere ab episcopo vrbis Romæ, quæ esset caput omnium ecclesiarum, ne patiantur Dioscorum sedere in Concilio, sed intromitti audiendum. exigentē inde senatum causam

causam Lucentius excepit, iudicium sibi illi subeundum esse, quia sine auctoritate sedis apostolicæ synodum ausus esset conficere. quod fas non fuisset. Iussu deinde senatus, Dioscoro residente in medio, Eusebius Dorylæensis episcopus intulit: *Lesus sum à Dioscoro, læsa est fides, occisus est Flavianus sanctus episcopus. iubere preces meas perlegi. iubente senatu, Betonicianus à secretis sacri Consistorij eas recitauit. quibus absolutis, inde quæ acta in proximo Concilio Ephesino erant, vtriusq; partis voluntate perlecta sunt. Ex quibus apparuit, Leonis pontificis ad Flavianum epistolam, in qua quæstionem hanc decidebat, fuisse neglectam, multosq; episcopos cum exceptione subscripturos fuisse, nisi ab amicis Dioscori prehenfis digitis impulsu fuissent, aliosq; aut dolo, aut vi abdicationi Flauiani consensum adhibuisse. Interrogatus porro Eutyches, vtrum duas in Christo naturas assereret, respondit, se scire, Christum ante cõiunctionem diuinitatis cum humanitate ex duabus constituisse naturis, ac post copulationem vnã in eo esse. Rogati vero episcopi cur Flauiani abdicationi subscripsissent, succlamarunt, Omnes peccauimus, omnes veniam poscimus. & cum sententia contra Flavianum, Eusebiumq; recitaretur, iidem subiecerunt; Anathema Dioscoro, Imperator Dioscorum vlciscere, viuat Leo multos annos. Postridie eius diei de fide multo accuratius est quæsitum. Ibi magistratus dixerunt: Quoniam declaratum est, neq; Flavianum, neq; Eusebium hallucinatos in fide esse, ac propterea iniuste damnatos fuisse, nobis æquum videtur, vt*

10^o Dioscorus, Iuuenalis, & alij, qui primas in Concilio partes obtinuerunt, dignitate episcopali ex legibus abdicentur. quibus acclamatum est, iustũ illud esse iudicium. Inde iusserunt, vt singuli episcopi fidem suam exprõmerent, vt qui scirent, Imperatorem Concilij Nicæni, Constantinopolitani, & prioris Ephesini constitutionibus assentiri. Alio inde die cum conuocati fuissent, Eusebius pro se, ac Flauiano libellos obtulit, Dioscorum accusans, quòd eodem, quo Eutyches, errore implicitus esset, & quòd se iniuste abdicasset, & quòd fucum in subscriptionibus obeundis fecisset; postulauitq; vt omnia secundi Concilij Ephesini acta abrogarentur, & ipsi sacerdotio restituerentur, & vt Eutychetis dogma condemnaretur. Dioscorus inde per Aëtium primicerium notariorum citatus respondit, se teneri à custodibus, quò minus adesse posset. inde rursus requisitus post alia respõsa, se impediri aduersa ualitudine dixit. Interim laici quidam Alexandrini introducti varia in Dioscorum crimina cõgesserunt. Itaq; placuit, tertio citari Dioscorum. quo item tergiuerfante, & quid meritis esset, percontante, responsum est, eum legibus esse factum obnoxium. Quibus rebus peractis, legati Leonis ita constituerunt: *Cum Dioscorus Eutychetem ab episcopo suo Flauiano legitime abdicatum propria auctoritate in communionem receperit, epistolam Leonis ad Flavianum legi non permiserit, atque ita ecclesiis offensionem, & detrimentum attulerit, Leonem episcopum Romanum communionem interdixerit, libellis aduersus se prolatis ter citatus non obtemperauerit, quiq; variis conciliis erant abdicati, receperit: ob eas res Leo Romanæ urbis episcopus per vos, & præsens Concilium cum beatissimo apostolo Petro ipsum omni dignitate episcopali dispoliat, & omni sacerdotali ministerio abdicat.*

40^o Qua sententia ab Anatolio, & reliquis episcopis approbata, Decisio Fidei recitata est, qua Decreta Cõcilij Nicæni, Cõstantinopolitani, & Ephesini primi, & epistola Leonis ad Dioscorum confirmabatur. eaq; Marciano sunt tradita. Quippe anathemate percussi sunt, qui filios duos statuerent, & diuinitatem passibilem esse assererent, quiq; confusionem duarum in Christo naturarum sentirent, ac duas naturas in Christo ante vnionem, aut vnã post vnionem confingerent, quiq; formam ab eo ex nobis assumptam alterius esse naturæ statuerent. decreuerunt autem perfectum esse in diuinitate, & perfectum in humanitate, vere Deum, & vere hominem, eiusdem cum patre naturæ secundum diuinitatem, eiusdem naturæ nobiscum, excepto peccato. eundem in duabus naturis citra confusionem, citra mutationem, citra diuisionẽ, citra separationem agnoscere, seruatis vtriusq; naturæ proprietatibus, in vnã personam, atq; hypostasim conspirantibus. Hæc i i i Idus Octobris acta. Cum autem aduersarij hæc decreta, tanquam potentia Imperatoris extorta, reprehenderent, ac suam sententiam adhuc corroborare cõtenderent, tum Anatolius, Quoniam opinionẽ vestram adhuc mordicus tenetis, nosq; tanquã Nestorianos,

accusatis, qui duas naturas prædicamus, vtraq; citra cõfusionem proprietates suas retinente, huius quæstionis diiudicatio diuino numini permittatur. scribatur sententia vestra in vno libello, & nostra in altero; atq; ambæ in sepulchro S. Martyris Euphemie collocentur, eiq; veritatis iudicium permittatur. Hæc cum hæretici probassent, scripti ab vtraq; parte libelli, elato lapide sepulchri, super pectus sanctæ martyris deponuntur. ac lapis demissus ab vtraq; parte diligentius obsignatur. deinde preces ad Deum suppliciter effunduntur, vt signa edat, vtra ei sententia cordi sit. Inde post triduum, præsentate Marciano, conueniunt, atq; aperto sepulchro, libellum hæreticorum ad martyris pedes inueniunt, alterum vero in manu eius dextra, quem sancta virgo Marciano, Anatolioq; porrexit, omnibus, qui aderat ¹⁰ facti nouitate stupentibus, ac plane attonitis. Ex quo ingens plausus, & gratulatio à Catholicis facta est, hæreticis præ pudore, in cæstitiaq; mustantibus. Inde sæpius eomense episcopi coierunt ad hæc, atq; alia huc pertinentia fancienda. in quibus episcopi etiam Theodorus Mopsuestenus laudatus, Theodoritus Cyrensis, & Ibas Edessenus Concilio Ephesino prædatorio tanquam hæretici condemnati, cum palam Nestorio, & Eutycheti renũciaßent, suis ecclesiis restituti. quæ tria capita post magnum seditionis incendiũ concitarunt. Quin etiam, instante Anatolio, decretum Constantinopolitani Concilij confirmatum est, vt sedes Constantinopolitana proximũ locum post Romanã teneret. Quibus rebus expletis, Marcianus Cõstantinopolim, episcopi suas quisq; ecclesias repetierunt. Dioscorus in Paphlagoniam ²⁰ relegatus est. Per eosdem dies Eusebius Mediolanensis archiepiscopus, suis ad conuentum aduocatis episcopis. ex eorum auctoritate Decisionem Leonis de fide ad Concilium Chalcedonense missam probauit. episcopi fuere Fauentius Regiensis, Maiorianus Placentinus, Cyprianus Brixellensis, Quintinus Derthonensis, Crispinus Ticinensis, Maximus Taurinas, Floreius presbyter ab Eulogio Eporcediensi episcopo egrotante missus, Gradus presbyter ab Eustasio Augustano, Cyriacus Laudensis, Abundantius Comensis pro se, & pro Asimone episcopo Curienti Rhetie primæ, Paschasius Genuensis, Pastor Hastensis, Simplicius Nouariensis, Ioãnes Cremonensis, Octavianus Brixianus, Iustinus Vercellensis, Quintius Albingaunensis, Præstantius Bergomas. Nono autẽ Kalendas Nouembris Leo pontifex ab archie- ³⁰ piscopo Rauennate Neone consultus, num baptismum impertiendum esset iis, qui domos capti ab hostibus reuenissent, cum se sacro lauacro tinctos nõ meminissent, respõdit, tribui posse, si modo nemo existeret, qui ablutos illos fuisse assereret. Sub eosdem dies, Placidia Augusta, cuius potissimum consilio res publica nitebatur, est mortua. de qua sic Cassiodorus: *Placidia mundi opinione celebratam, principũ aliquorum prosapia gloriosam purpuratõ filio studuisse percepimus. Cuius dum remisse administrat Imperium, indecenter cognoscitur imminutum.* Herculano inde, Sporatioq; cõsulibus, Marcianus Augustus vii Kal. Februar. edicto sanxit, ne quis discederet à decretis Chalcedonensi Concilio constitutis. Alexandrie vero Proterio episcopo in locum Dioscori ablegati subleto, inges seditio excitata, cum alii Dioscori desiderio angerentur, alij Proterio studerent. eaq; nisi militari manu ab Imperatore missa, nõ potuit ⁴⁰ coerceri. Eodem anno Italia sæuo nouarum calamitatum laborauit incendio. si quidem Attila cum immenso, ac formidabili illo suo barbarie coeuntis exercitu in ipsam demum ferox, ac truculētus iniuit. Quæ irruptio cum omnium, quas barbari intulerint, nostrorum sermonibus celebratissima, ac vulgo maxime decantata sit, nõ aliud tamen est in tota antiquitate ab veterum annalium sermone desertius. vt mihi videantur in tanti periculi magnitudine non Imperator solũ, ac duces eius ad tãtam pestem, clademq; propulsandam elanguisse, sed ipsi etiam scriptores, nescio quo modo, ad eandem commemorandam obtorpuisse. Neque enim hæc quisquam accurate litteris consignauit præter vnum Priscum hominem Græcum. ⁵⁰ quem magno huius historie detrimento amisimus; fortuna vsque adeo antiquam dignitatis gloriam Italicis inuidente, vt vetera florentis Italiae decora labefacere non contenta, præclara eorum etiam consignata litteris monumenta obliterare studuerit. Quod quando, ita Deo volente, cõtigit, Prisci iacturam æquo animo patiemur, quæq; tantorum malorum testimonia apud Iornandem, ceterosque, quasi minorum

minorum gentium scriptores, supersunt, quàm ad memoriam insignia, tam ad cautionem utilia, tanquam aliquas ex secundo naufragio tabulas, colligemus. Attila igitur in campis Catalaunicis in Gallia superatus, cum, amisso magna ex parte exercitu, languens sese in Scythiam recepisset, haudquaquam sibi quiescendum existimavit, actum de gloria, ac nomine suo ratus, si quem ex aduersis rebus timorem ostendisset, aut vllum fracti animi signum, afflictarumq; virium indicium edidisset. Itaque Valentiniano ante omnes infensus, per quem non solum Gotthos non deleuerat, sed memorabilem etiam in Gallia calamitatem acceperat, ipsum armis vlcisci Italia inuadenda, ac Roma inflammanda decreuit. Accedebat, quòd, si voti sui compos factus fuisset, & prædam vberiore, & victoriam certiore se relaturum videbat, quòd Italiam omnium regionum ditissimam, atque opulentissimam neque Gotthi, neque Alani, neque Burgundiones, neque Franci fœderati suis essent armis, ac corporibus protecturi. Igitur eisdem nationibus, quas antè, sollicitatis, exercitum superiore maiorem contraxit, eumq; ad se sequendum ingentis spe prædæ, ac promissis accendit. Quo nuncio accepto, Italici maiore, quàm vnquam aliàs, formidine, ac trepidatione concussi sunt. veniebant enim in mentem varia, quibus nuper ab Alarico, & Radagaiso conflietati fuerant, mala. quibus adiungebatur etiam præsentium amplior numerus hostium, tetrior feritas gentium, maior constantia militum, ac demum famosa ipsa Attilæ cum militaris rei peritia, tum immanis quædam supra omnem memoriam ingenij, atque naturæ ferocia. qui se Flagellum Dei, & Terrorem hominum appellabat, & ad id in mundum à Deo missum iactabat, vt tanquam iustæ illius vindex iræ terras omni malorū genere permisceret, & crudelitatem, ac libidinem suam non nisi sanguine, & incendio terminabat. Augebant etiam hunc pauorem cœlestia multa, quæ nunciata in vulgus erant, prodigia, haud dubie sollicitis semper rerum futurarum mentib. triste aliquid portendentia. nam ad cetera, vt scribit Marcellinus, tres ingentes lapides è cœlo cecidisse (res raro audita, aut ægre credita) ferebatur. suberat præterea singularis rerum ad victum opportunarum inopia, ac fœda ex ea suborta, ac passim dispersa pestilentia, mala pacatis etiam, compositisq; rebus asperrima. Ob eas res omnibus ad ipsum modo Attilæ nomen horrentibus, Venetiæ populi, qui æstuarium maris Adriatici accolebant, quòd primam tam immanis, & terti hostis impressionem se excepturos videbant, passim patrias suas in cōtinenti sitas relinquere, ac familias cum preciosa supellectile transportare ad insulas, si vis hostilis ingrueret, statuerunt, ea spe ducti, Attilam aut inopia lincium eò non peruasurum, aut, si copia suppeteret, has insulas, intento Romam versus itinere, neglecturum. dicuntur autem Aquileienses Gradum animo destinasse, Cōcordienses Caprulas, Altinates Torcellum, & Maurianum, Patauini Riuum altum, Opitergini Equilium, Atestini, & Monssilicenses Philistinam, Metamaucum, & Clodiam. Reliqui vero aspera alpium, & Apennini iuga, & sylvas, quibus se ignorantia hostium tegerent, sibi cogente necessitate depoposcerunt. Ceterum in tanta populorum consternatione Valentinianus omnino animum non despondit, sed ad solita Italiæ præsidia nouas Gothicas gentes auxilio euocauit, quarum duces Procopius Alaricum, & Anthalam nominauit. ac, Iuliis Alpibus, per quas è Pannonia in Italiam erat transitus, nouo præsidio communitis, Aquileiam, quæ prima erat superatis Alpibus occutitura, rursus militibus, turribus, com meatibusque firmavit. neque ceteras, per quas ad Padum amnem reëtus est aditus, rebus necessariis communire neglexit. Aëtium autem ad vrbs Romæ defensionem, & ad omnem arripiendam aduersus Attilam occasionem citra Romam paratum cum validissimo adesse exercitu iussit. atque ipse se in Vrbe continuit. siquidem 11 Kal. Iulias inde ad Firminum præfectum prætorio scripsit:

50 *Non miramur, inter bellicas curas, & obstrepentes lituos ordinatione viri magnifici, Patricique nostri Aëtij formam publicæ dispositionis in meliorem statum fuisse mutatam.* Cum igitur hoc statu res Italiæ essent, Attila, traiecto per hiemem Danubio, appetente vere è Pannonia infinitam illam suarum colluuiem gentium mouit, atque inde reëtto cursu ad fauces Alpium Iuliarum accessit. vnde milite Valentiniani haud magna admodum mole deiecto, Italiam ingressus ad amnem Sontium, trepidanti-

bus, ac profugientibus ex agris omnibus, venit, eoq; transmissio, exercitum ad Aquileiam adduxit. quæ à Valentiniano omni, vt diximus, genere munitio-
 instructa, portis occlusis, se illius auersari imperium, atque impotentem despiciere
 potentiam declarauit. Itaque ira inflammatus, quòd urbem tam validam, atq; opu-
 lentam sibi resistentem, ac progressui suo moram iniicientem esset nactus, simulq;
 prædæ, quam opimam sperabat, intentus, vniuerso exercitu circumiecto inuasit,
 primo se potiturum impetu credens. verum vbi mœnia sæpius aggressus, ipsam va-
 lidis expugnare conatibus acriter se tuentem non potuit, diuturna ad urbem ses-
 sione domare constituit. Possum vere affirmare, nullius vrbs obsidionem, atq; ex-
 pugnationem in Italia vulgari hominum sermone tam tritam esse, quàm Aquileiæ. 10
 verum vsque adeo prisorum scriptorum silentio inuolutam, vt neq; per quos du-
 ces defensa, neque quibus casibus oppugnata sit, apud locupletem vllum scripto-
 rem inueniatur. Si Prisci, vt dixi, historia superesset, non laboraremus. qui, sicut
 inquit Euagrius, docuit, quemadmodum Attila Orientem, atque Occidentem
 inuasit, & quàm multas, quasq; vrbes exciderit, & quibus denique rebus nobili-
 tatus ex hac vita migrarit. Iornandes autem, domo Alanus, qui Priscum hunc le-
 git, urbem diu obsessam fuisse scribit. quod spacium Paulus Diaconus, quasi Ior-
 nandem interpretans, triennium continuum fuisse exposuit. quem deinde omnes
 sequuti sunt. quod vnde ille eruerit, equidem dispicere adhuc nō potui. siquidem
 Cassiodori, Marcellini, & Iornandis ipsius, qui omnes his proximi fuere temporibus, 20
 testimonio satis liquet, Attilam superiore anno in Gallia rem gessisse, hoc A-
 quileiam in Italia euertisse. Ceterum Attila urbem per aliquot sine dubio menses,
 homo eius artificij rudis, obsedit. itaq; ad exercendum in tanto otio militem non
 longe ab Aquileia montem Vtinum in modum aggeris struxit. sic enim suo quoq;
 tempore Venetos prædicasse, Ortho Frisingensis, scriptor sane vetustus, rettulit,
 Pòst autem, cum exercitum insolita ad urbem obsidendam mora frementem, ac
 prope tumultuantem videret, vehementer angi animo cœpit. nam ad cetera, qui-
 bus exercitus ex incondita turba conflatus premebatur, incommoda pestilentia
 quoque illum inuasit eò vehementius, quàm ceteros Italiæ incotas, quòd fœdus
 barbarorum, ac iumentorum in vno loco per æstatem consistentium odor eam 30
 vulgabat. Itaque, desperata quasi victoria, castra inde mouere in animo habuit, at-
 que in posterum diem profectioem indixit. interim autem oblato per motus au-
 spicio restitit. quippe ciconiam quandam pullos suos è turri subinde mœnium ex-
 portantem, & contra morem suum in agrum deferentem notauit. Quod visum il-
 le continuo militibus abire parantibus indicauit. atque, vt erat auguralis disciplinæ
 peritus, Videtis ne auem illam, inquit, quæ nidum suum contra naturam destituit?
 pro certo habetote, illam tacito nature sensu imminentem vrbi ruinam præcipientem
 sibi, natisq; suis consulere. vos autem, si viri eritis, paulisper resistetis, ac cer-
 tum, qui instat, expugnata opulentissimæ vrbs fructum haurietis. Neque vero il-
 lud inane fuit augurium. Nam Aquileienses, (vt posteriores tradiderunt, quibus 40
 fidem neque addidisse, neque abrogasse voluerim.) crebris demum eruptionibus
 fusi, rei frumentariæ ad summam difficultatem adducti, atque omnibus denique
 malis vsque ad desperationem afflicti, consilium effugiendi ex vrbe, eamq; vacuam
 hostibus relinquendi cepere. Itaque, vt minore cum periculo ex vrbe excederent,
 sub noctem statuas ligneas armatas in stationibus murorum ad decipiendos inani
 defensorum specie hostes disposuerunt. atque, imprudente Attila, à parte ad ma-
 re vergente euaserunt, & in Gradum insulam cum archiepiscopo Niceta se rece-
 perunt. Attila vero, postquam, luce orta, aues hastis, capitibusq; armatorum in mu-
 ris consistentium hædere securas, ac sine metu conspexit, errorem suum, atque ho-
 stium dolum agnouit. ac, signo exercitui ad vacuam inuadendam urbem dato, mœ- 50
 nibus scalas admouit. ac statim eam mœnium partem, in qua nidus ciconiæ hæse-
 rat, sua sponte labentem animaduertit. itaque impetu præcipue ab illa parte facto
 urbem intrauit. ac bona ciuium, qui remanserant, militibus diripienda, ipsosq; pro
 cuiusque libidine confictandos permisit. Discurrentibus autem temere ad præ-
 dam, cædem, stuprumq; militibus mulier summo loco nata, Digna nomine, faci-
 nus,

nus, si animi magnitudinem intuemur, in primis memorabile edidit. nam, cum esset, ut formæ excellentis, sic pudicitia singularis, ne in manus hostium veniens ludibrium fortunæ perferret, ex edita turri, quæ adibus suis imminebat, se in subiectum amnem Natisonem capite obuoluto proiecit, studiumque muliebris conseruandi pudoris memorabili in primis exitu declarauit. Direptis bonis, templis inde, relictisque publicis, ac priuatis incendium est illatum, vrbsque ad deterrendas exempli fœditate finitimas ad solum euerfa. ex ciuibus alij captiui in potestate hostium remanserunt, alij tormētis excruciatu vitam misere finierunt. reliquos & quidem copiosos, ac nobilitate præstantiores incolumes insula Gradus excepit. Atque hic

10 quidem vrbi nobilissimæ, & quæ ad id vsque temporis claustrum Italiae aduersus irruptiones barbarorum firmissimum, & semper inuictum extiterat, Augusto mense exitus contigit. Aquileia capta, atque deleta tantum inde proximæ prouinciæ paucis iniectum, est, ut vrbius eius potiri, haud magni admodum negotij fuerit. Quamobrem Concordia, Altinum, Opitergium, Patauium, & Ateste, quæ prope rum æstuarium, eximiam, atque inueteratam nobilitatis oppida, attingebant, ciuibus plerisque ad insulas, quas diximus, properantibus primo aduentu, præfidiis deditis, in potestatem cesserunt. captaque, ac direpta, subiectis facibus, diro, ac prope hostibus etiam ingrato spectaculo conflagrarunt. Maritimis his oppidis expugnatis, non recto cursu, sicut opinio fuerat, ad Padum processit, ut Romam, quod in

20 sermone iactabat, appeteret; credo, quod Aëtium armatum ibi obuium extimuerit, verum ad dexteram conuersus sese intra Padum continuit, atque vni prædationi, ac vastationi, ut videbatur, vrbius deditus mediterranea Venetiæ oppida Taruisium, Vicetiam, Veronam, Mantuam, Cremonam, Brixiam, Bergomumque petiuit, & capta, ac pariter militari populatione exhausta subuertit. Transmisso inde Abdua Liguriam ingressus eandem vrbius eius intulit labem, Laudi, Como, Nouariæ, Vercellis, Eporcediæ, Taurino, Mediolano, ac Ticino. quarum omnium populi formidine consternati relictis oppidis ad montes ferme, & loca situs difficultate munita confugerant. Inde, ut addit Diaconus, ineunte iam, ut opinor, hieme Padum sine impedimento traiecit. atque occurrentes Æmiliæ vrbes, Placentiam,

30 Parmam, Regiumque subinde adortus nullum item in eas exemplum hostilis feritatis omisit. Iam omnia, quæ intra Apenninum, & Alpes erant, fuga, populatione, cæde, seruitute, incendio, & desperatione repleta erant, nullaque mali facies aberat, nefaria per omnes ordines, sexus, & ætates barbarorum auaritia, crudelitate, ac licentia peruagante, cum vir, illa tempestate vnicus, ac bello princeps Aëtius opportunum auxilium reliquæ iamiam perituræ Italiae attulit. Is maximum iampridem exercitum ex Romanis, barbarisque contractum habebat, ita ut ex æquo cum Attila iusto configere prælio posset, qui copias iam præda graues, ac fame, morbis, atque algore afflictas, & domum repetere cupientes, trahebat. Itaque, cum iam alter annus procederet, quo Opilio, Vincomalusque consulatum gesserunt, cer-

40 nens illum recta per Æmiliam incitato Romam versus in apetu contendentem, superiora Alarici tempora, quibus adhuc nihil fuerat tristius, auersatus, ad prouinciæ fines occurrit, summo prælio, si opus esset, decertare paratus, atque Æmilienses campos, non minus, quam Catalaunicos, clade Hunnica insignes posteris proditurum confusus. Attila interim, relicto Regio, Mutinam victorem, insolentemque exercitum VI I Kal. Februarias duxit. Expectabant ciues nostri suspensis, ac trepidantibus animis vltimum in horas ipsorum vrbis excidium, atque, omni humano deplorato auxilio, imminentem pestem auertere, supplicibus solis ad Deum fufis precibus, contendebant, cum repente, quasi cælo auditi, præter opinionem omnium voti sui compotes sunt effecti. siquidem Attila ut Tricassibus in Gallia virtute episcopi S. Lupi pepercit, sic Mutinam in Italia meritis S. Geminiani intactam præterit, neque hostili vlllo detrimento affecit. Itaque Ecclesia Mutinensis merito hodie quoque festum accepti huius à sancto suo antistite beneficij diem, septimum Kalendas Februarias, solemnem pompa concelebrat, præclaro pietatis, ac religionis exemplo iampridem à maioribus instituto. Haud longius inde progressus Attila, pedem, opinante nemine, rettulit, atque exercitum ad Padum

reduxit, Aëtio acriter in tergis instante, atque extremum agmen cædibus, ac terrore premente. traiecit autem Padum, qua parte in ipsum Mincius influit. qui locus frequenti populorum vltro, citroq; commeantium transitu erat insignis, sine dubio maximis incommodis ab exercitu Aëtiano affectus. Cum autem castra ad Mincium trans Padum iam securus ab Aëtio posuisset, atq; adhuc ferocia de adorienda Roma verba iactaret, à suis circumfusis ducibus, domum, vt dixi, spectantibus est admonitus, vt conatu illo, consilioque desisteret, memor, Alaricum regem Gotthorum, postquam Romam diripuisset, fœdo naufragio deformatum paucos dies superuixisse. Interim Valentinianus, receptu Attilæ cognito, paulisper respirare, ac quasi ex cæcis seruitutis tenebris lucem aliquam libertatis cœpit aspicere. itaque legationem de pace mittere ad Attilam, tanquam omnia æquioribus iam auribus accepturum, constituit, ac Leonem pontificem, hominem non maiestate solum, sed etiam ætate venerabilem ad id muneris legit, adiectis mandatis, vt quacunque conditione possset, Attilam non solum à progressionem auerteret, sed etiam ad Italiam primo quoque tempore relinquendâ impelleret. Haud respuit in tanta rerum asperitate laborem vllum egregius pontifex, sed, comitatu honestissimo sumpto, quàm maxima potuit, ad eum celeritate contendit. nactusque ipsum ad Mincium, vt proxime, confidentem, ac sæua adhuc secum de petenda Roma consilia volutantem, se venisse à Valentiniano legatum ostendit. Non potuit homo non minus moribus, quàm genere barbarus, tam sancti, tamque venerandi antistitis aspectu non grauius commoueri. itaque benigne, atque honorifice illum excepit, & libere, quæ peteret, expromere iussit. Quibus tum verbis pontifex non solum optimus, sed etiam disertissimus causam Italiæ, Urbis, atque Ecclesiæ Romanæ orauerit, ac quemadmodum regis barbari pectus dicendo versarit, nemo prodidit antiquorum. neque ad ea ex ingenio confingenda, (quod quidam nuper poetarum more fecerunt,) nobis veritatem consuetantibus suppetit animus. cum hætenus nihil, nisi ex vetustis sumptum auctoribus, attulerimus. quod constat, ille hominem ferum, atque ab omni religione auersum graui diuinæ iustitiæ commemoratione adeo permulsi, vt ipsum adhuc quibusdam quasi facibus inflammatum ad cupiditatem scelerati facinoris obeundam, promisso annuo tributo, ab eiusmodi consilio reuocarit. Additur res auditu mirabilis, Attilam non tam grauiissima Leonis oratione placatum, quàm aspectu alterius viri Leoni à tergo assistentis, atque ipsi gladium, ni obedientem se gereret, intentantis, fuisse perculsum. quod ipse postea diserte confessus est. nam, cum à suis reprehenderetur, quod tam facile pontificis Romani nutui, auctoritatique cessisset, respondit, non se illum fuisse reueritum, sed alterum pone illum in habitu sacerdotali astantem, forma augusta, & canicie venerabili præditum, & districto gladio sibi mortem, ni dicto audiens esset, acerrime minitantem. illum autem Petrum principem apostolorum fuisse nostri merito crediderunt. Vulgo etiam inter Hunnos sermo increbuit, Attilæ ferociam à duabus tandem feris fuisse perdomitam, Lupo in Gallia, & Leone in Italia, cum Lupum Tricassinum episcopum, & pontificem significare Leonem vellent. Ita, motis à Mincio castris, Noricum versus iter suscepit, ne per loca ruinis strata, agrósque recenti adhuc igne fumantes, atque ab omni genere alimentorum inopes exercitum preciosa potius, quàm necessaria præda onustum reduceret. atque inde, transmissis Danubio in Scythiam suam peruenit, fama sæui prædatoris potius, quàm constantis bellatoris, relata. Hæc, quæ de irruptione Attilæ in Italiam scripsimus, paucis verbis Iornandes in Annalibus attigit: *Attila, inquit, recollectis viribus, Aquileiam vi magna diu obsessam capit. ac circumquaque prædis, & cadibus suribundus bacchatur. ad quem Valentinianus Imperator papam mittens, pacem cum eo fecit. exercitusq; eius fame, peste, morbo, cadibusq; insuper ab Aëtio attritus, eum reuert*

pluribus vero in eo libro tradidit, quem de rebus Geticis scripsit. Ceterum hæc vt noua, sic miserabilis admodum Venetiæ, Liguriæ, atque Æmiliæ, quæ adhuc sub Imperij tutela omnibus bonis floruerant, calamitas accidit. neque enim Alaricus citerioris, sed vltioris Italiæ vrbes attigerat, quas hac impressione Attila contusas prorsus, laceratasque reliquit. Quare, profecto illo, populi tanta barbaro-

barorum mole leuati, alacres statim omne suum ad accepta supellectilis damna
 refarcienda, & rectorum iacturam quoquomodo reparandam studium contule-
 runt. Nam qui ad montes, insulasve diffugerant, alioue quò dilapsi formidine fue-
 rant, reuocati vrbes pristina frequentia celebrarunt, & captiuos, quos potuerunt;
 vel ingenti pecuniæ magnitudine redimere deinde conati sunt. in Venetia tamen
 Aquileia, Concordia, & Altinum, licet episcopis ad ecclesias suas administrandas
 reuersis, nequaquam; Opitergium, Patauium, & Ateste, ægre admodum, restituta
 sunt. Id autem, (quis tandem occulta Dei consilia prouideret;) bono quodam
 quasi Italiae fato euenit. Etenim hoc pacto vrbs clarissima Venetiarum est condi-
 10 ra, difficillimis aliquando temporibus veterem Italiae dignitatem repræsentatura,
 ac fortiter sæuissimum aquilonarium hostium impetum exceptura. Harum nam-
 que ciuitatum primores, qui ad insulas confugerant, tam crebris, & tam sæuis bar-
 barorum impressionibus consternati, cum patrias sedes suas crematas, agròsque
 vastatos viderent, domicilia in insulis sibi perpetua statuerunt. ac, communicatis
 consiliis, non solum rationem inierunt, qua se aduersus immanem incursantium
 hostium libidinem tractanda re maritima tegerent, sed etiam creatis magistrati-
 bus, quos Tribunos, Cassiodoro teste, vocarunt, certam inter se rempub. institue-
 runt, quam vsque ad Caroli Magni tempora tenuerunt. à quo armis petiti ex om-
 nibus insulis in vnam ferme, quam nunc incolunt, Riuum altum migrarunt. Quo
 20 casu egregie, prosperèque defuncta ciuitas belli, pacisque studiis pro temporum
 ratione colendis ad eam opum amplitudinem creuit, vt iam cum potentissimo
 quoque rege æquo Marte terra, marique armis configere non solum possit, sed et-
 iam ausit. His exceptis, reliquæ ciuitates suis quæque episcopis auctoribus, atque
 adiutoribus sacras, & profanas ædes restituere, & pristinum eis decorem redde-
 re properarunt. ex quibus præcipue mira Eusebij archiepiscopi apud Mediola-
 nenses opera, atque industria prædicatur. Eodem anno xvi Kalend. Maij Leo
 pontifex litteris Marcianum Augustum rogauit, vt Eutychem ex iis locis, in qui-
 bus exul nefariam de Christo doctrinam tradebat, in remotiora, & secretiora lo-
 ca retruderet, quò minore Ecclesiam detrimento vexaret. Vbi vero Attila in Scy-
 30 thiam rediit, quietis, otiique impatiens noua moliri, sed occulta, vt antè, consilia
 cepit. nam palam Valentiniano, & Marciano Augustis minas intendit, occultè
 autem aduersus Sangibanum regem Alanorum arma parauit. quia, Theodorico,
 & Gundidicario interemptis, & Valentiniano ad extremam prope desperationem
 adducto, ipsum incolumem superesse, tanquam participem eiusdem culpæ, do-
 lebat. Itaque ad Valentinianum misit, denuncians, se grauioribus Italiam incom-
 modis affecturum, nisi Honoriam sororem cum parte regalis opulentia ad se mi-
 sisset; ad Marcianum vero, se Illyricum nouo bello fatigaturum, nisi promissa à
 Theodosio stipendia persoluisset. & cum hæc minabundus iactaret, exercitum
 tamen ad diem conuenire iussum iterum in Galliam duxit, vt Alanos ad Ligerim
 40 confidentes inuaderet. Qua re cognita, Thorismundus rex Gotthorum, id ad se
 quoque pertinere existimans, qui proximas Alanis sedes haberet, paratis conti-
 nuo rebus Alanorum subsidio venit, atque, altero cum eo edito prælio, victum
 in Scythiam se referre coegit. Huius pugnae vnus Iornandes est auctor. Aëtium,
 quò minus Thorismundo auxilium tam asperis temporibus ferret, fœdus cum At-
 tila modo ictum, credo, continuit. Ob id Thorismundus incensus, Aëtio iam, 454
 Studioque consulibus, quòd dubiis suis in rebus fuisset ab Aëtio destitutus, bellum
 Romanis in Gallia mouit, atque exercitum Arelate adduxit, & cum adortus ma-
 nu expugnare non potuisset, obsidionem admouit. Qua cognita, Aëtius prope-
 re cum copiis, quas in promptu habebat, accurrit, ac prælium acre commisit.
 50 neque tamen Thorismundum ab vrbe depellere potuit. Quod vt animaduertit
 Ferreolus, tum prætorio Galliarum præfectus, homo propter singularem pruden-
 tiam, atque excellentem humanitatem inter paucos apud Gotthos gratiofus, ad
 Thorismundum accessit, ac blande appellatum, ac conuiuio comiter exceptum
 ad eam relinquendam obsidionem induxit. Quod Sidonius sic in epistolis rettu-
 lit: *Ferreolus, qui Gallias administrauit, tum cum maxime incolumes erant, Attilam Rheni*

quarum vna fuit turpioris libidinis, altera stolidæ cuiusdam temeritatis. Vxorem ille Petronij Maximi perditæ deperibat. erat autem Maximus senator, idemque Patricius, nepos illius Maximi, quem Theodosius Gratiani vlciscendi causâ sustulerat. Hancigitur forma excellentem cum misere amare cœpisset, blanditiis primum ad sui obsequium allicere nixus est. vbi vero pectus eius munitum pudicitia repperit, ad artem se contulit. quippe Maximum ad se accersit, & de industria ludere cum eo talis instituit, certoque auro proposito, annulo eius ludi victor potitus est. quem statim Maximi nomine clam ad illius coniugem misit. eamque iussu mariti, signo accepto, properare in Palatium ad salutandam Eudoxiam Augustam præcepit. Mulier, annulo mariti cōspecto, nulla de re suspicans adiit, ac statim in gynecæum à paratis ad id mulieribus deducta est. Neque ita multo post Valentinianus, Maximo relicto, libidine ardens accessit, atque amorem testatus, castissimæ mulieri stuprum nefarium intulit; Sex. Tarquinium imitatus, qui violatione Lucretiæ regnum ex vrbe deiecit. Dimissa inde mulier, vt iniuriâ violatæ pudicitæ vindicaret, viro rem prodidit, ipsumque, vt qui tanto probro occasionem aperuisset, prope detestabunda increpuit. ac mox rei indignitate per se satis accensum quibusdā quasi furiarum facibus ad tantam persequendam contumeliam incitauit. Maximus inde, cum se Valentiniano vitam eripere sine certo periculo non posse, viuentē Aëtio animaduerneret, ipsum ante de medio sibi tollendum existimauit. Itaque rem aggressus, eunuchos regij corporis custodes spe, præmiisque corruptos induxit, vt Valentiniano persuaderet, Aëtium rebus gestis inflatum nouas res in Gallia meditari. Quod cum princeps credidisset, continuo cogitare de illius delendi ratione instituit. cum autem in hanc curam animam intendisset, forte ex amico quodam quaesit, num Aëtij mortem vtilem fore reip. iudicaret. cui ille, Minimè vero, inquit. immo si illum sustuleris, tu tibi dextram manu altera defecabis. Qua voce haudquam deterritus, Aëtium Romam acciuit, & satellitibus in palatio collocatis, vbi accessit, per eos incautum vna cum Boetio amico fœdissime trucidauit. Quo extincto, simul omne Occidentalis Imperij præsidium concidit. tanta fuerat in eo virtutis indoles, tanta auctoritas, atque ad omnes res consulendas, atque agendas consilij

30 promptitudo, animique alacritas. In eius locum substitutus est Ricimer Sueuus, vt inquit Sidonius, nam alij Vandalum prodiderunt. qui genus maternum ad Valliam Gotthorum regem proximum referebat. Valentiniano inde Augusto VIII, & Anthemio, qui postea Imperauit, consulibus, Marcianus Kal. Augusti edictum edidit, vt qui Concilio Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi assensum abnuerent, & cum Eutyche facientes Proterij episcopi Alexandrini consuetudinem deuitarent, ij omnibus pœnis, quibus Apollinaristæ hæretici, tenerentur. Cum duces Ostrogotthorum Valemirus, Theodemirus, & Vindemirus fratres diuersis in locis in Pannonia habitarent, filij Attilæ eis irati, vt qui, tanquam mancipia, à legitimo domino profugissent, aduersus Valemirum, Theodemirom, & Vindemirom inscientibus, contenderunt. quorum impetum tanta ille virtute sustinuit, vt eos acie fatigatos prostrauerit, & cum exigua suorum parte Scythiam petere trans Istrum coegerit. Quo die Theodemirus tam insignis victoriæ nuncium à fratre accepit, eodem illi natus est puer ex concubina, quem Theodoricum vocauit. qui postea regnum Gotthorum in Italiam introduxit. Maximus, cum ad perimendum Valentinianum, vt certo iam vltore desertum, animo esset erectus, Ostilam, & Transilam sidos quondam Aëtij satellites, indignitate domini necis iniecta, ac muneribus, & pecunia in præmium periculi ostentata, impulit, vt Valentiniano parum ab eis cauenti manus afferrent. Nec consilium fefellit euentus. xv Kal. Aprilis conuenerunt, atque hominem inermem, neque de eiusmodi insidiis cogitantem, in campo

50 Martio pro tribunali concionantem nacti circumsteterunt, & per Ocillam Aëtij bucellarium ex aduerso venientem gladio confoderunt, ac vita exuerunt. in eo tumultu Heraclius eunuchus cecidit, cum pro domini salute suum caput offerret, fidemque in extremo etiam casu præstare contenderet. Tota inde non solum regia, sed etiam vrbe tanti facinoris magnitudine consternata, nemo extitit, qui se Maximi conatibus aduersarium exhibuerit. Obiit Valentinianus anno Imperij sui tricesimo, æta-

tis vero tricesimo quinto. Eo Imperante, Occidentale Imperium, quod desiderare sub Honorio cœperat, labi, vt dixi ab initio, cœpit. Vnus tamen Attila ad terrorem hominum natus modo fortiter acie victus, modo afflicto exercitu cum pace dimissus, perennem ipsi apud posteros conciliare beneuolentiam potuit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM. DE OCCIDENTALI IMPERIO,

LIBER XIII.

MAXIMVS SECVNDVS IMPERATOR.



VALENTINIANVM inde Imperatores illi per tempora exceperunt, quibus dominantibus fœda, ac miserabilis ipsa demum Occidentalis Imperij labes est subsequuta. Hi sunt enim, qui ipsas prorsus Occidentis prouincias amiserunt; hi sunt, qui Romam iterum, atque iterum, à barbaris captam, atque incensam viderunt; hi, qui Italiae Dominatione exuti nomen, gloriamque Romanam funditus euerterunt; hi denique, qui clarissimum Imperij Romani lumen, atque inueteratam populis nobilissimæ gentis auctoritatem penitus extinxerunt. Nam, barbaris iam late omnia ditione, libidineque tenentibus, non solum antiqua Imperij maiestas, sed vetus etiam litterarum, atque ingenij dignitas omnino euanuit. neque enim in tanto bellorum ardore, ac quotidiana seruitutis, necisque formidine pristinis doctrinæ, atque eloquentiæ studiis vacare hominibus licuit. Itaque fœcunda illa eruditorum, disertorumque virorum propago, quæ usque ad primam Gotthorum in Italiam impressionem cum maxima omnium admiratione floruerat, tetro ipso barbariæ transitu, tanquam infesto rapidi cuiusdam aquilonis impetu, prorsus exaruit. Quamobrem non erit mirandum, si nos etiam quæ sequuntur, veteribus eo magis rerum destituti scriptoribus parcius, ac tanquam earum, quas describemus, cladum atrocitate percussi, quodammodo languidius attingemus. VALENTINIANO Imperatore perempto, Maximus non solum dolori suo se iniuria vlciscenda satis fecisse, sed etiam occasionem ad Imperium occupandum sibi aperuisse putauit. neque enim Valentiniæ proles virilis vlla extabat, cui iure hereditario id fastigium deberetur, & ipse satis se paratum non solum ad inuadendum, sed etiam ad tuendum tantum dominatum arbitratur. Itaque eademmet hora, qua Valentianus occisus est, ex campo digressus, furore, ac scelere ardens, cum magna armatorum satellitum manu in Palatium iniit, atque Eudoxiam Augustam adeptus per vim, vxore paulo antè amissa, sibi matrimonio sociavit. quo factò, parati ad id, promissis muneribus, milites ipsum Imperatorem acclamantes leuarunt. Augustalibus inde insignibus exornatus totum se tradidit fluctuanti Imperio componendo. Hic, vt inquit Sidonius, præfectura prætoriana, Patricij dignitate, ac consulatu semel, atque iterum functus fuerat, ac moribus, pecunia, litteris, patrimoniis, & clientelis ita floruerat, vt nemo illo in vrbe conspectior, nemo in rep. beator putaretur. postquam autem Augustus appellatus, ac per eam causam Palatinis inclusus liminibus, fuit, ante lucem vehementer ingemuit, quòd voti compos factus sui fuisset. v sique adeo vt Imperij pondus perosus sæpe dixerit: Felicem te Damocles, qui regni necessitatem non vno longius prandio pertulisti. neque id iniuria. nam vno tempore & palam, & occulte nefarias imperio, & capiti suo comparatas insidias sensit. Etenim, nuncio in Galliam de Valentiniæ cæde perlato, barbari omnes male iam pridem erga remp. animati repente ad arma sunt conciti. siquidem & Saxones piratæ tractum Aremo-